



DISSERTATIO QUARTA.

IN qua examinatur sententia *Augustini*, de modo imputationis, quo putavit, alterum alieno crimine ita teneri obnoxium, ut aliena fides parvulis prodest. Agitur etiam per hanc occasionem de *fœderali* fidelium *liberorum* sanctitate.



§. I.

Habuit præcedens *Dissertatio* Sapientum Ethnicorum, aliorumque de *imputatione alieni criminis* dicta, atque insuper ea *Scriptura* S. loca exposuit, quæ aliquotusque hoc negotium illustrare possunt. Pertinent autem illa maximam partem ad *civilem* potius *imputationem*, quàm *naturalem*, quâ Adami delictum Posteris necessariò imputatur. Unde quivis facile intelliget, non ea mente hæc à me allata esse, quasi nullam dissimilitudinem inter hanc & illam imputationem intercedere existimarem: Sed ut Adversariorum morositati & genio aliquid darem, retunderemque illorum tela veritati obversa. Nunc verò ad propositum, à quo aliquandiu abfui, redeundum est, atque evicta in *superioribus* *Dispp.* veritate *imputationis peccati Adamitici*, de modo *imputationis* *Disquisitionis* instituenda. Eò enim aliorum non solum meditationes circa hoc argumentum me pertrahunt, sed & idem data à me fides quasi flagitate videtur.

Imputatio civilis aliquotusque quidē hanc rem illustrat, magna tamen inter illam & naturalem imputationem lapsus Ade dissimilitudo intercedit.

§. II. Supposito itaque hoc *imputationis peccati Adamitici* fundamento: *Humanum genus seminaliter in Adamo extitisse, & non aliter estimari, ac si in suis individuis in primæva imagine esset conditum: Indeque Adamum representantem Posteris quasi Procuratorem eorum & Regem constitutum esse. Præterea, actum ab eo in Paradiso commissum, fuisse actionem fœderalem, à qua ipsius fœderis ruptura suspensa fuit. Omnesque in*

Fundamentum imputationis peccati Adamitici repetitur.